

Dissemtationes hoc volumine contentae.

1. Gemcenturia quæstionum illustrium ex iure et liba tamquam
quas præsit Petro Leopoldo. J. V. D. examinandas proposuit
Andr. Petrus Wolffrum. Regiomont. Franc. Jenæ.
2. Juris aliquot emendata, quas præsit Heinrico Bocero Jr.
pro Doctoratibus in utroque Jure insigni nitorum sequendis publicis dis-
quisitioni subiecit Georgio Wolfgang Wilbornmann, Neum-
burgo-Palatinus Tübingæ.
3. Propositiones Juris præsertim quas publicè discutendas proposuit,
Christophory Treibisig J. V. D. Resp. Conrado Casp. Bovio,
Witteberg. Lipsiæ.
4. Dissertatio ad tit. 5. et 6. libri 2. ff. quam præsit Christophoro
Bosoldo Jr. discutendam proposuit Burkhardus Ehinger
Tübingæ.
5. Diss. de Jure Naturæ præsit Johanne Gyphandro J. V. D.
defensa à Georgio von Broy, Aseuburg. Tübingæ. Fr. Jenæ.
6. Diss. de necessaria defensione, præsit Heinrico Bocero Jr. pro-
posita à Daniele Rantow. Tübingæ.
7. Conclusiones de Jurisdictione, quas eodem præsit Dominico
Wrogg iure insigni sequendopum causa publicè censuræ
subiecit Johannes Georgii Halbitter. libid.
8. Assertiones legales de transactione quas præsit Petro Theo-
dorio J. V. D. pro gradu Doctoratus in utroque Jure sequendo
discutendas proposuit M. Georgii dist. Lips. Jenæ.
9. Diss. de transactionibus, præsit Johanne Harprecht. Jr.
pro summo in utroque Jure gradu sequendo publicè examini
submissa à Georgio Langen. Homb. Tübingæ.

Divina Majestate an-
nuente:

AUCTORITATE ET CONSENSU
Amplissimi Jurisconsultorum Ordinis in Illustri
Academia Tubingensi:

P R Æ S I D E

Nobili, Clarissimo, Consultissimoq;
Viro,

Dn. CHRISTOPHO-
RO BESOLDIC. ET AN-
TECESSORE IN EADEM TUBINGENSI
Vniversitate longè celeberrimo, Præceptore & Pro-
motore suo honorando,

*Disputationem hanc de Crimine laesa Maie-
statis Juridicopoliticam*

PRO SUMMIS IN UTROQUE JU-
re titulis & privilegiis Doctoralibus conse-
quendis,

Publicæ disquisitioni submittit

*Ad diem XXIII. Junii in Aula Nova,
horis à sexta matutinis*

STEPHANVS MARCH-
drencker Laureacensis

Austrius.

•S •S

TUBINGÆ,

Typis Theodorici VVerlini,

ANNO MDCXV.

ILLVSTRI AC GENE-
roso Domino,

Dn. IOBO HART-
MANN O ENENKELIO
L. BARONI HOHENECCIO, &c. SACRÆ
Cæsareæ Majestati à Consiliis in Regi-
mine Austriaco, quod est Viennæ, &c.
Domino & Patrono suo be-
nignissimo.

*Disputationem hanc inauguralem, debita gra-
titudinis & observantia sua quaecumq;
symbolum,*

offert & dedicat

Stephanus Marchdrencker,
Auct. & Resp.



T H E S I S I.



MAIESTATIS nomen (a) cum tam Deo, (b) quam Magistratui in Republica summo (c) in jure nostro tribuatur: Crimen læsæ Majestatis dupliciter considerandum esse sequitur; quatenus vel in Divinam Majestatem, (d) vel in temporalem seu humanam (e) committitur. Priori illo genere relicto, de posteriori duntaxat, quo Majestas Politica violatur, impræsentiarum agere decrevimus.

a) Majestatem à magnitudine dictam, hinc non intelligimus externum quendam splendorem, auctoritatem & venerationem, quam Græci *σεμνότης* vocant. Quomodo Lips. 2. polit. 16. Majestatem definit: reverendam quandam amplitudinem ob meritum virtutis aut rerum affinium. Quò etiam collimare videtur P. Greg. Tolosani definitio. *lib. 8. de Rep. c. 3. §. 2.* ubi dicit: Majestatem esse latentem quippiam, quod admirabile præter naturam propriam reddit quippiam, unde singularis veneratio & honor nascatur. Sed accipimus Majestatem pro summa absoluta & perpetua in omnes potestate. Henning. *Arnise. lib. 1. de iure maiest. c. 1. nu. 6.* Dn. Præses, in *Colleg. polit. part. 1. disput. 2. thes. 7. & seqq. fac.* Bornit. in *tract. de maiest. polit. c. 1. & 2.* Dn. Thomas Lansius in *disquis. de L. Reg. thes. 45.* à Græcis *κύριον πολιτεύμα*, Italis Signoria, Gallis Souveraineté vel Seigneurie dicta, Joh. Camman. *disp. 1. de iur. maiest. thes. 20.* (b) *l. non distinguemus 32. §. sacerdotio. ff. de recept. arbitr. Auth. Gazaros, C. de hæret. l. fin. in pr. C. de fer.* (c) videlicet Imper. Romano, §. *publ. 3. Inst. de publ. ind. d. Auth. Gazaros. C. de hæret. l. 7. in pr. C. ad l. Jul. mai.* adeoq; omni Regi, Principi, & Reipublicæ superiorem, præter Deum, neminem recognoscenti. *arg. l. non dubito. 7. §. 1. ff. de captiv. & postlim. c. felicis. in*

princ. & §. præmissis. de poen. in 6. Dn. Præses in Colleg. polit. part. 1. disp. 2. thes. 25. (d) c. vergentis extr. de hæret. quod in jure nostro Sacrilegium propriè nominatur. l. 1. in princ. ff. ad L. Jul. maiest. cuius species sunt: Blasphemia, Novell. 77. c. 1. §. 1. Reichs Abschied zu Augspurg / de Anno 1530. tit. Von Gottslåsterung vnd Gottschwüren. Peinliche Halsgerichts Ordnung Caroli V. artic. 106. Quam in beatam virginem & reliquos sanctos perpetrari negamus, nisi ea in ipsius Dei fiat contemptum. c. si quis per capill. 22. quæst. 1. c. statuumus, de maled. t. t. C. nem. licere sign. Salvat. Quomodo intelligenda esse remur, quæ in recess. Imperii de hoc crimine disponuntur. Hæresis l. 4. in fine. l. 6. §. 1. l. 8. §. nulli. C. de hæret. Apostasia. l. 1. & seq. l. 4. Cod. de apostat. Sortilegium & Divinatio curiosa. c. un. 26. quæst. 1. l. nemo. C. de malef. (e) De quo exaudiendi sunt textus in nostro Iure, qui aut simpliciter criminis Majestatis mentionem faciunt, arg. l. 4. §. in mortem. C. de hæret. aut etiam læsæ Majestatis. l. 8. ff. h. l. pen. C. eod. Clem. pastoralis. §. præhabitis, & §. rursus. de sent. & re ind.

I I:

Definire autem lubet crimen læsæ Majestatis temporalis: quòd sit delictum publicum, (a) quo civis Romanus (b) adversus Imperatorem, (c) aut Remp. Romanam, (d) eiusvè securitatem (e) aliquid dolosè (f) machinatur. (g)

a) d. §. publica. 3. Instit. de publ. indic. l. 1. ff. eod. autoritate L. Iuliz, quam à Iulio Cæsare conservandæ suæ majestatis causâ latam fuisse, verisimile est. Gothofred. ad rubr. ff. ad L. Jul. maiest. Clariss. Dn. Præceptor D. Harpprecht. in tractat. suo criminal. ad d. §. publica, 3. Inst. de publ. ind. nu. 8. Dn. Præceptor D. Bocer. in tract. de crimin. maiest. c. 1. n. 12. (b) l. 1. §. 1. ff. h. Civem Romanum dicimus, qui Imperio Romano mediatè vel immediatè subjectus est. per l. in orbe. 17. ubi Dd. ff. de statu hom. Nec verò à singulis tantùm subditis, sed & ab universitate aliqua, putà, provincia, civitate, pago crimen hoc committi potest. arg. tex. in dict. l. 1. §. 1. ibi: quovè cœtus conventusvè. ff. h. & in l. quisquis. §. in princ. ibi: cum militibus vel privatis. C. eod. facit l. 9. §. 1. ff. quod met. caus. l. 1. §. 1. ff. de assign. libert. & expressus textus in Constit. Henrici V II. Imp. in extravag. incip. ad reprimendum. §. ad hoc si qua communitas. Sed & ab exteris in suos Reges, Duces & Principes, qui superiorem non recognoscunt, crimen læsæ majestatis admitti rectè tradunt Dd. communiter, referente Guid. Papa. in decis. quæst. 344. num.

nu.2. *Mynsing. respons. 44. nu. 10. decad. 5. & cent. 5. obser. 41.* In Papam ab aliis, quàm à suis subditis, crimen illud perpetrari prorsus negamus. *Dn. Præses, in Colleg. polit. part. 1. disput. 2. thes. 19. & seqq.* tantum abest, ut Imperatorem in Pontificem insurgentem læsæ maiestatis reum fieri censeamus. *Dn. D. Bocer. de crim. maiest. c. 1. nu. 30. Dissent. Hieron. Gigas tract. de crim. læsæ maiest. rubr. qual. & à quib. crim. læsæ maiest. q. 2. & Canonistæ communiter. (c) d. 5. publica. Inst. de publ. iud. l. ult. ff. h. d. l. quisquis. 5. C. eod. dict. Constit. Henrici VII. incip. ad reprim. quippe cui & in quem populus Romanus omne suum jus & potestatem L. Regiâ contulit. l. 1. in princ. C. de Constit. Princ. nam antea maiestas Imperii penes populum Romanum sola erat. arg. d. l. 1. §. 1. ff. h. & apparet hinc inde ex Cicerone, maximè ex Orat. pro Rabir. & tert. Philipp. (d) d. l. 1. §. 1. & d. l. ultim. ff. h. (e) d. l. 1. §. 1. ff. h. quâ voce tranquillitatem, pacem & incolumitatem publicam significari, rectè interpretatur Duaren. 2. disput. annivers. 22. Budæum secutus. At Accurs. in d. l. 1. §. 1. eiusque sequaces saluum conductum vel fœdus populi Romani cum extero aliquo populo percussum hoc in loco denotari autumant. (f) Siquidem sine dolo malo crimen maiestatis haud committi potest. d. l. 1. §. 1. l. 4. l. pen. ff. h. (g) quo verbo non solum actum perfectum, sed etiam conatum ad delictum hoc committendum comprehendere volumus. per text. in d. l. 5. in princip. C. h.*

I I I.

Huius criminis duæ sunt species. Una Perduellionis crimen appellatur. (a) Altera generis nomen retinet, & crimen Maiestatis, vel, per additamentum, læsæ Maiestatis dicitur. (b) Perduellionis crimen rursus vel est propriè sic dictum: vel quasi perduellionis crimen. (c)

a) §. per contrarium. 5. *Instit. de hered. quæ ab intest. defer. l. fin. ff. h. l. 31. §. ult. ff. de donat. l. 11. §. 3. ff. de his, qui not. infam. à perduelle: quo nomine à veteribus Romanis vocabantur ji, qui nunc hostes dicuntur, cum quibus populo Romano publicè bellum esset. Pomp. Fest. lib. 8. de verb. sign. Varro lib. 6. de lingua lat. Cic. 1. offic. Caius in l. 234. ff. de V. S. Non rarò tamen perduellionis crimen generis nomine designatur, & simpliciter maiestatis crimen dicitur. l. de minore. 10. §. 1. ff. de quæst. Et reus perduellionis dicitur reus maiestatis, in l. 6. C. h. l. decuriones. 6. C. de quæst. (b) d. l. ult. l. 8. ff. h. l. 7. §. 1. C. eod.*

Vult. ad §. publica. 3. Instit. de publ. iud. Dn. Bocer. de crimin. maiest. c. 2. nu. 5. (c) arg. d. l. ult. ff. h. iunct. l. 5. C. eod. quemadmodum & contractus alius est propriè contractus, alius quasi contractus; item delictum aliud est propriè & verum delictum, aliud quasi delictum. §. sequens divisio. Instit. de oblig. iunct. tit. Instit. de oblig. quæ quasi ex contractu, & t. t. Instit. de oblig. quæ quasi ex delicto. Dn. Præcept. D. Bocer. d. tract. c. 2. nu. 7. Cæterum Cyn. Salicet. Ant. Capyc. & alii Interpp. quos allegat Dn. D. Bocer. d. tract. c. 3. nu. 113. & seqq. diversimodè inter duo capita L. Iulix distinguunt. Sed cum nobis nihil certi constet, duo an plura capita L. Iulix fuerint; malumus priorem distinctionem retinere.

I V.

Perduellionis crimen propriè acceptum, est: cum quis hostili animo (a) adversus ipsummet Imperatorem, vel Rempublicam (b) directò ac principaliter (c) quid molitur.

a) Quibus verbis perduellio à crimine læsæ majestatis in specie ita dicto distinguitur. Quod perduellionis crimen sanè est omnium delictorum, quæ in hominem committi possunt, atrocissimum, & Sacrilegio proximum, l. 1. in princ. ff. h. Imperator enim vices Dei gerit. Nov. 105. c. fin. §. ult. Et in Imperii tranquillitate totius Orbis regularitatem requiescere, ait Imper. Henric. VII. in d. constit. extrav. incip. ad reprimendum. (b) d. §. publica. 3. Instit. de publ. iudic. d. l. ult. ff. h. Mart. de Laud. in tract. de crimin. læsæ maiest. qu. 3. Vnde colligitur, æquiparari Majestatem Reip. & Majestatem Imperatoris: adeò ut omnia, quæ dicuntur de læsa Majestate Reip. eadem procedant in Majestate Imperatoris: & vice versa. Decian. in tract. crimin. lib. 7. c. 4. nu. 3. An autem in Augustam seu Imperatricem perduellio committatur, dubium videtur esse? Negandum putamus. arg. t. t. ff. & C. h. Aureæ Bullæ c. 24. licet illud affirmet Decian. d. lib. 7. c. 5. nu. 1. & Andr. Gerhard. decad. ult. exerc. Inst. thes. 1. Cæteroquin non inficiamur privilegiis specialiter & expressè ab Imperatore ei concessis gaudere Augustam. l. Princeps. 31. ff. de legib. Pac. 1. ἐν αὐτῷ φανῶν. 13. Quid de Tyranno dicendum? si non legitimè Imperium aut Regnum sit adeptus; perduellionis crimen non committit

De Crimine læsæ Maiestatis.

5

committit, qui illum occidit. *Decian. d. tract. crim. lib. 7. c. 5. num. 22.*
Bodin. lib. 2. de Rep. c. 5.

V.

Huius atrocissimi criminis rei fiunt cives Romani, id est, qui Imperio Romano sunt subjecti: (a) cum adversus Imperatorem vel Rempublicam Romanam (b) conjurationem, (c) aut seditionem, (d) vel aliud quidvis hostile ad labefactandum, aut penitus evertendum universum (e) Imperii statum moliuntur.

a) *l. 1. §. 1. ff. h. iunct. l. 17. ff. de statu hom.* Nam qui peregrinus, nec Imperio subditus est, in hoc crimen non incurrit, in Imperatorem aliquid hostile moliendo, *per text. in clem. pastoralis. §. deniq. iunct. §. rursus. de sent. & re indic. Tib. Decian. in tract. crimin. lib. 7. c. 8. num. 7. Gail. 2. de pace publ. c. 13. nu. 19. Jul. Clar. lib. 5. sent. §. læsæ maiestatis. n. 6. etiamsi sit vasallus Imperatoris. Gail. d. loco. Dn. Præceptor Bocer. de crimin. maiest. c. 1. nu. 20. Diss. Menoch. consil. 99. nu. 99. & seqq.* Quæritur de Clerico, num committere perduellionem seu crimen læsæ maiestatis possit? Affirmo, *per c. ult. vers. nec aliquis. de offic. & potest. deleg. in 6.* (b) *d. l. ult. ff. h. Constit. Henrici VII. incip. ad reprimendum.* Idque vigore Aureæ Bullæ tit. Von der Erzbischoff Segen in Gegenwertigkeit eines Kaisers / *re. etiam ad Principes Electores Romani Imperii Ecclesiasticos & seculares porrigitur, ut, si quis ipsorum vitæ periculum intentet, perduellionis crimen proprium admittat.* (c) qua contrahitur perduellio, quando plures juramento inter se præstito de fide sibi servanda contra Principem vel Remp. aliquid machinantur. *arg. l. 4. in princ. ff. h. d. l. quisquis. §. C. eod.* (d) quæ nihil aliud est, quàm publicæ quietis perturbatio. *arg. l. 1. & 2. C. de sedit.* Grave & atrocissimum delictum, malumq; nil tyrannide inferius: quippe quod, veluti tabes quædam, paulatim totam inficit civitatem, & demùm in tyrannidem erumpit, ut ait Themist. *lib. 1. de gest. Græcor. quem refert Decian. tractat. crimin. lib. 7. cap. 19. n. 2.* (e) Siquidem, qui pro parte tantùm aliqua Remp. offendit, non hoc perduellionis, sed crimen læsæ maiestatis speciale committere dicitur. *Dn. D. Bocer. de crimin. maiest. cap. 2. nu. 13. Hotoman. in Commentar. verb. iur. in verb. perduellis.*

Quasi



Quasi perduellionis crimen committit, qui in necem Consiliariorum aut Senatorum Imperatoris conspirat: (a) sive id in odium Imperatoris principaliter, sive odio aliquo privato in ipsos Consiliarios fiat: (b) sive etiam illi in Aula Cæsarea continuè versentur, sive alibi degant. (c)

a) Hi namque pars corporis Imperatoris dicuntur in d.l. quisquis. 5. C. h. & in hære Principi, sicut stellæ firmamento Cœli, secund. Bald. in l. cum multa. C. de bon. qua lib. Atque hoc ad Cardinales quoque Romani Pontificis extenditur, si ipsis insidiæ hostiliter struantur, c. felicitis. de pœn. in 6. (b) arg. d.l. quisquis. 5. quæ generaliter & indistinctè loquitur. Cui sententiæ suffragantur, tanquam veriori, Jul. Clar. lib. 5. sent. 5. læsæ maiestatis. nu. 5. Dn. D. Harpprecht. in tract. crim. ad §. publica. Inst. de publ. ind. n. 16. Dn. D. Bocer. d. tract. de crim. maiest. c. 2. n. 28. & seqq. & in class. 4. disp. 11. th. 19. Diss. Hier. Gigas. rubr. qual. & à quib. crim. læsæ maiest. quæst. 14. VVesenb. consil. 57. nu. 6. & communiter Dd. (c) quia d.l. quisquis 5. illud non simpliciter requirit, ut in Aula Cæsaris commorentur: nec in eadem l. corpus Imperatoris physicum & naturale denotat, sed Collegium Consiliariorum Imperatoris, cuius pars non minùs illi sunt existimandi Consiliarii, qui extra Aulam alibi rerum suarum sedem habent, quàm qui in ea continuè versantur. Videatur Dn. D. Bocer. d. tract. de crimin. maiest. c. 2. nu. 19. ubi fufius hanc opinionem firmat.

V I I.

Crimen læsæ Majestatis in specie sic dictum, est: cum civis Romanus alio, quàm perduellis, hoc est, hostili animo (a) Imperatorem, (b) vel Rempublicam Romanam ex parte aliqua (c) offendit.

a) d.l. ult. ff. h. (b) veluti, si quis injussu Principis bellum gerit, delectum habet, aut exercitum comparat. l. 3. §. eadem ff. h. si quis successoris suo exercitum sibi commissum non tradit, d.l. 3. §. ead. ff. h. aut ad jussum Principis Castrum Arcemve, quam tenet, non resignat. Angel. in d.l. 3. nu. 4. Si quis militiam aut exercitum deserit. l. 2. & d.l. 3. §. ead. ff. h. Si quis privatus pro potestate aut magistratu sciens quid dolo malo gerit, d.l. 3. ff. h. Si quis privatos carceres

ceres exercet. l. 1. C. de privat. carcer. Si quis sine jussu Imperatoris monetam cudit. l. 2. C. de falsa moneta, aut monetam eius pr obam adulterat. l. 1. in princ. & d. l. 2. C. eod. *Peinliche Halsgerichts Ordnung Caroli V Imp. art. III.* ubi habetur, quot modis adulteretur moneta. Et quamvis jus cudendi monetam sit de regalibus, quæ soli Principi sunt reservata: *tit. 56. lib. 2. feud.* adeò ut rescriptum Principis, quo privato facultas monetam fabricandi conceditur, subreptitium præsumatur. l. ult. C. de falsa moneta. tamen hodie passim concessum est in Germania, Ducibus, Marchionibus, Comitibus & Baronibus, imò multis etiam civitatibus monetas quascunq̃e cudere: quæ nihilominus reputari pro monetis ipsius Imperatoris debent, cuius circumscriptum plerunq̃; nomen in orbe, & Aquilam bicipitem, inserto eius pectori Imperii globo ex lege referunt. *Reichs Abschied Anno, & c. 59. §. 10. Dn. Præses, in Colleg. polit. p. 1. disput. 3. thes. 55.* Ita ut eas adulterans pariter crimine læsæ Majestatis teneatur. *Perr. V. Wesenbec. consil. 45. & arg. artic. III. der Peinlichen Halsgerichts Ordnung.* (c) Hæc verba (*ex parte aliqua*) addimus ad differentiam perduellionis rei, qui universam Reipublicæ summam evertere conatur, ut supra *thes. 5. dictum est.* Non autem refert, utrum quis ipsemet suo proprio facto Principem aut Rempublicam offendat l. 2. d. l. 3. *ibi: qui vè cum ei: l. 4. in fin. princ. ff. h. an faltem dolo malo curet per alium offendi, d. l. 1. §. 1. d. l. 3. in fine ff. eod. an verò utroque modo Remp. lædat; veluti, si quis ope consilio dolo malo provinciam aliquam vel civitatem hostibus prodat. l. pen. ff. eod.* Nam locutio illa, *ope consilio, aut opera consilio* tam disjunctim, quàm conjunctim accipi potest. l. 28. §. fin. l. 53. §. 1. ff. de V. S. Cæterum quibus modis Remp. aliquis per se faciendo vel omittendo offendat, vel, ut ab alio offendatur, curet: pulchrè ostendit *Dn. D. Bocer. de crimin. maiest. c. 2. nu. 83. & seqq.*

V I I I.

Hoc læsæ Majestatis crimen speciale sive simplex etiam committitur: si quis alium Romani Imperii Principem, præter Electores, aut Comitem vel Baronem Imperio immediatè subditum; (a) vel etiam magistratum Civitatis Imperialis (b) occidit, aut insidias ipsius vitæ struit.

B

a) arg.



a) arg. l. 1. §. 1. vers. cuiusvè opera consilio. Hotoman. in Comment. verb. iur. in verb. magistratus. Hieron. Gigas. rubr. qual. & à quib. crim. læsæ maiest. quæst. 29. quos etiam sequitur Dn. Bocer. de crim. maiest. c. 2. nu. 91. & Dn. Præses in Colleg. polit. part. 1. disp. 2. thes. 25. Diff. Bart. in Constit. Henrici VII. tit. qui sunt rebelles. verb. rebellando. nu. 3. Anton. Peregrin. de iure fisci. lib. 4. c. 5. n. 24. Mynsing. resp. 44. num. 9. & seqq. Honded. consil. 108. nu. 56. lib. 1. (b) arg. d. l. 1. §. 1. vers. cuiusvè opera consilio. ff. h. Damhoud. in praxi rer. crimin. c. 62. num. 1. Clar. 5. sent. 5. læsæ maiestatis. n. 3. Hinc etiam non dubitamus, eum, qui patriam suam Romano Imperio subjectam oppugnat vel prodit, crimen læsæ maiestatis contrahere. arg. l. pen. ff. h. Contrarium tenet Bart. & alij Dd. quos allegat Gigas, d. rubr. qual. & à quib. crimin. læsæ maiest. quæst. 24. ubi rem distinctione expedire conatur. Aliter distinguit Decian. in tract. crimin. lib. 7. c. 5. nu. 21.

I X.

Utraque autem species criminis læsæ Maiestatis non modo effectu ipso, sed & solo conatu; (a) non tamen nuda & interiori voluntate; (b) neq; maledictis nudis in Imperatorem (c) committitur.

a) d. l. quisquis. 5. in princ. C. h. Constit. Aur. Bullæ. tit. Von der Erzbischoffe Segen / r. Jul. Clar. lib. 5. sent. 5. læsæ maiestatis. num. 15. videlicet secuto aliquo actu destinato ad crimen hoc perpetrandum. Qua in re probanda mihi maximè videtur distinctio Bossii in praxi crim. tit. de crim. læs. maiest. nu. 43. & seqq. inter læsæ maiestatis crimen in primo capite commissum, quod nos perduellionem & quasi perduellionem vocamus, & simplex crimen læsæ maiestatis in secundo capite, quod speciale dicimus. Priori casu, solis verbis de occidendo Principem, eiusvè consiliariis editis committi vult: Posteriori autem non, nisi ultra verba intervenerit consilium sive congregatio cum aliis & conclusio. Et refert Val. Arithmæ. in peric. 3. thes. 3. Senatum Parisiensem ante aliquot annos de crimine læsæ maiestatis damnasse virum nobilitate insignem, quòd consilium de interficiendo Rege se cepisse, poenitentia postea ductus ipsemet indicârit. (b) l. 18. ff. de poenis. (c) Hieron. Gigas. dict. rubr. qual. & à quibus crimen læsæ maiest. quæst. 40. Petr. Heigius part. 2. quæst. 31. num. 47. usq; ad finem. Et novissimè Dn. D. Harprecht.

De crimine læsæ Maiestatis.

9

precht. in dict. tractat. crimin. §. publica. num. 37. argu. l. 7. §. 3. ff. h. & l. un. C. si quis Imp. maledix. Tib. Decian. lib. 7. tractat. crimin. cap. 50. num. 1.

X.

Pœna, qua afficiuntur rei criminis læsæ Maiestatis, alia generalis & communis est, tam perduellioni, & quasi perduellioni, quàm crimini læsæ Maiestatis simplici conveniens; veluti, ultimum supplicium, (a) & bonorum omnium amissio: (b) vel specialis perduellionis tantum. (c)

a) *d. §. publica. 3. Inst. de publ. ind. l. 3. ff. h. l. 5. C. eod. Aur. Bulla tit. Von der Erbschoff Segen in Gegenwartigkeit eines Kaysers. Regulariter autem rei læsæ Maiestatis feriuntur gladio. d. l. 3. ff. h. d. l. 5. in princ. C. eod. Interdum etiam deportari aut relegari solent. l. 24. iunct. l. 40. ff. de pœn. Hodiè in reos læsæ maiestatis atrocius animadverti consuevit. Plerumque enim corpus dissecatur illis in quatuor partes, quæ deinceps in locis eminentibus illius territorii suspenduntur, ubi delictum est commissum. Jul. Clar. lib. 5. sent. 5. læsæ maiestatis. num. 8. Damhouder. prax. crimin. cap. 62. num. 6. Apud Venetos laqueo necari; in Gallia verò quatuor illigatos equis dilacerari reos huius criminis, refert Giguas, rubr. de pœn. committ. crimin. læsæ maiest. quest. 1. nu. 7. & ultim. Carolinâ Sanctione criminali de simplici quoque crimine læsæ maiestatis reus condemnatus per plateas in terram prostratus ad locum supplicii raptari, aut ignitis forcipib. lacerari, postea in quatuor frustra dissecari jubetur. **Peinliche Halsgerichts Ordnung Caroli V. Imp. art. 124.** Adulteratores monetæ ex Sanctione Imper. Constantini igne comburantur. l. 2. C. de fals. mon. quam pœnam & hodiè sustinere debent. **Peinliche Halsgerichts Ordnung.** In perduellione vel quasi perduellione etiam conscii eius criminis, si non revelent, ultimo supplicio afficiuntur. d. l. quisquis. 5. §. pen. & fin. C. h. Contrà participes istius criminis, si illud nondum cognitum patefaciant, impunitatem merentur. d. l. quisquis. 5. §. fin. Hinc ambigitur, num Sacerdos seu confessionarius delictum hoc in confessione sibi patefactum revelare teneatur? Et quidem, si delictum jam est consummatum aut commissum, non puto teneri, *per text. in c. Sacerdos. de pœnit.**



dist. 6. & c. omnis utriusq. de poenit. & remiss. Futurum autem scelus, quavis viâ avertere ac confitentem ad sanio rem mentem reducere satagat; & si malè feriatum hominem à proposito non desistere velle animadvertat, delictum patrandum ei, cuius interest, revelare potest, *Menoch. 2. de arbitr. casu 414. Mynsing. 5. obser. 41. num. 4. (b) l. 9. l. ult. ff. h. d. l. 5. in princ. l. 6. & seq. l. ult. C. eod. l. 3. ff. de interd. & releg.* Quam poenam in speciali crimine læsæ majestatis tunc demum obtinere volunt *Robert. lib. 2. sent. iur. cap. 22. & Dn. Præcept. Bocer. de crimin. maiestat. cap. 3. num. 117.* quando reus neque liberos neque parentes ad tertium usque gradum superstites habet. per *Novell. 134. c. ultim.* Vbi uterq; cum Cujacio in d. Novella, vocem *ναδουσιωσως*, quæ in Græco textu legitur, considerat. An verò commisso statim crimine ipso jure delinquens amittat rerum suarum dominium, an secuta demum condemnatione graviter contententur Dd. Posterius affirmantibus calculum adjicimus. *l. quæsitum. 15. in princ. ff. qui & à quibus manum.* Quam sententiam quoque post alios amplectuntur *Dn. Harpprecht. in tract. crimin. §. public. num. 68. & Dn. D. Bocer. de crimin. maiest. cap. 3. num. 22. & Arnise. de iure maiestat. lib. 3. cap. 6. num. 13. Dissent. gloss. in l. fin. C. de iure fisci.* Quamvis administrationem & alienationem rerum confestim crimine læsæ majestatis commisso, ipso jure reo adimi non abnuimus. *l. 31. §. ultim. ff. de donat. l. 20. ff. de accus. d. l. 5. §. 4. l. 6. in princ. & l. fin. in princ. C. h.* Præterea bona etiam post dictum crimen contractum acquisita in bonorum confiscationem venire existimo, *argu. l. ult. ff. h. l. 76. §. ult. ff. de legat. 2. l. 6. §. 11. ff. de iniust. rupt. Dissent. gloss. in l. 89. ff. de condit. & demonstrat.* Feudum autem, quod possidet vasallus læsæ majestatis reus, fisco non vindicatur, sed ex culpa amissum vel ad dominum transit, vel ad agnatos pro natura scilicet feudi. *tit. 24. §. deniq. & tit. 37. in princ. lib. 2. feud.* Emphyteusis item privatam simpliciter constitutam in confiscationem bonorum venire docet *Hieron. Gigas dict. rubr. de poen. committ. crimen læs. maiestat. quæst. 6. nu. 7.* De Ecclesiastica Emphyteusi idem sentimus; ad heredes si sit transitoria. *Gigas dict. loco nu. 5.* De Univerſitate quæri posset, quomodo puniatur, si committeret læsæ majestatis crimen? Et non solum proſcribi, privilegiis & bonis privari posse putamus, sed etiam funditus everti & solo æquari, *Gail. 2. de pace publ. cap. 9. n. 27.* quemadmodum Carthago aratrum passa esse dicitur

dicitur in l. 21. ff. quib. mod. usufr. amitt. (c) de qua vide thes. proxim. subsequentem.

X I:

Specialis in Perduellione propter sceleris atrocitatem, præter jam recensitas, pœna est: quòd eius criminis rei memoria etiam post mortem damnatur: (a) eiusque filios (b) comitatur perpetua infamia, (c) bonorumque ademptio. (d)

a) §. per contrarium. *Instit. de hered. quæ ab intest. d. l. cum filius. 76. §. fin. ff. de leg. 2. l. 6. l. fin. C. h.* Damnatur autem memoria rei perduellionis, quando pendente iudicio, vel ante cœptum iudicium mortuus sit. *Decian. tractat. crimin. lib. 7. cap. 48. nu. 1. Dn. D. Bocer. de crimin. maiest. c. 3. num. 49.* Olim statux quoque reorum huius criminis detrahebantur. l. 24. ff. de pœn. Quo exemplo hodiè insignia (vulgò arma) damnatorum detrahi solere, scribit *Duaren. in tit. ad L. Iul. maiest. cap. 3.* (b) sive ante reatum, sive post natos. *arg. text. generalis in d. l. 5. C. h. l. 10. C. de bon. proscript. & in Aur. Bulla d. tit. Von der Erzbischoff Segen / r.* Et magis communem hanc esse opinionem testatur *Gigas, rubr. de pœn. quas fil. quæst. 5. num. 2. Dissent. Cyn. & alij in d. l. 5. C. h. Domin. Arumæ. disput. 25. ad Dig. thes. 3.* Idem quoque in filiis mulieris, quæ perduellionem commisit, statuimus. *argum. dict. l. 5. verb. quisquis. C. h.* Nec exceptos volumus filios ante reatum à patre emancipatos, *arg. d. l. 5. §. 1. C. h. Scip. Gentil. lib. 1. de coniur.* Verùm ad nepotes hæc pœnas non trahendas putamus, *per tradita à Dn. D. Harpprecht. dict. tract. crimin. §. publica. num. 52. & Dn. D. Bocero de crimin. maiest. cap. 3. num. 68.* neque ad filias omnimodò *d. l. 5. §. 3. C. h.* neque etiam ad patrem, si filius hoc crimen commisit; *ut commun. Dd. sentiunt, quos refert & sequitur Gigas dict. rubr. de pœn. quas fil. incurr. quæst. 22.* (c) ita ut ad nullos prorsus honores aut dignitates admittantur. *dict. l. 5. §. 1. C. h. Aur. Bulla d. tit. Von der Erzbischoff Segen / r.* nisi restituti fuerint ab Imperatore. *Decian. tractat. crimin. lib. 7. cap. 41. num. 31.* Illi quoque, qui pro perduellionis reo apud Principem interveniunt, infamiâ notantur. *d. l. 5. §. deniq. C. h.* Durissimum hoc videri potest; ita ut hanc partem legis non, nisi ad terrorem, scriptam esse existimet *Scipio Gentil. de coniur. cap. 4.* ut illam legem in 12. tab. de corpore debitoris dissecando, quâ neminem unquam u-



sum fuisse, scribit Aul. Gellius. Illud ipsum tamen, quod de intercessoribus reorum perduellionis d.l. 5. §. deniq; sancitur, etiam constitutioni Aureæ Bullæ, d. tit. Von der Erzbischoff Segen/te insertum legitur. (d) d.l. fin. ff. h. d. l. 5. in fin. pr. Nov. 124. c. ult. in fin. & auth. bona damnatorū. C. de bon. proscr. aur. Bull. d. tit. Von der Erzbischoff Segen/te aded ut non modo paternis bonis privetur, sed & à materna, avita & aliorum propinquorum hereditate arceantur; nec quicquam capere ex testamentis extraneorum possint. d.l. 5. §. 1. C. h. d. l. 10. C. de bon. proscript. nulla planè legitima ipsis salva manente, nè quidem materna. arg. d.l. 5. in fine prin. & §. 3. C. h. Hereditates tamen istas, à quibus excluduntur filii reorum perduellionisisco cedere negamus, cum Clariss. Dn. D. Bocer. d. tract. de crim. maiest. c. 3. nu. 72. contra Cyn. Alber. & Salicet. in d.l. quisquis. C. h. Quod ad uxorem rei perduellionis attinet: eam bona sua tam paraphernalia quàm dotem salvam habere firmiter asserimus. d.l. quisquis. §. 5. C. h. l. 2. & t. t. C. nè ux. pro mar. l. 1. C. de privil. fisci. Et hæc quidem omnia, quæ de pœnis reorum perduellionis, eorumque filiorum diximus, etiam in quasi perduellionis crimine locum habere nullus dubito, præterquam quod in hoc memoriam defuncti non damnari arbitrer. arg. d.l. 5. C. h. Prædictas tamen pœnas, quoad filios reorum criminum istorum, obsoletas esse hodiè, testatur Decian. tract. crim. lib. 7. c. 41. nu. 38. idq; opinor, æquissimè. arg. Deuter. 24. vers. 16. Ezech. 18. vers. 20.

X I I.

Cognitionem criminis læsæ Majestatis ad solum Imperatorem pertinere Dd. nostri communiter volunt. (a) Nobis autem veritati juris magis consentaneum videtur, (b) quemlibet competentem Iudicem cognoscendi de hoc crimine licentiam habere.

a) Matth. de Afflict. in c. 1. §. & bona committ. nu. 18. quæ sunt regal. in usib. feud. Gigas rubr. qui de crim. læs. maiest. cognosc. poss. Decia. tract. crim. lib. 7. c. 38. nu. 5. Damhoud. in prax. rer. crim. c. 26. Prosp. Farinac. par. 5. oper. crim. q. 118. n. 14. Quam doctrinam juvare videtur: quòd antiquitus huius criminis vindicatio penes Reges Romanos fuisse apparet ex historia Horatii Sororem suam interficientis; quæ extat apud Liv. lib. 1. decad. 1. Post exactos verò Reges populo Romano duntaxat reservata fuit, vel Prætoribus ab eo relictis & iudicibus

bus sortitis. *Decian. d. tract. crim. lib. 7. c. 38. nu. 1. & seqq.* Et in Gallia solum Regem de huiusmodi crimine cognoscere, scribit Boër. *in tract. de seditios. in 6. præsupposito. nu. 20. & seq.* (b) per l. famosi. 7. §. hoc tamen. 3. ff. h. l. nullus. 4. C. eod. *Constit. Henrici VII. in extrav. incip. ad reprimendum. vers. hac edictali.* Et ita sentit Clariss. Dn. Bocer. *de crim. maiest. c. 4. nu. 2.* ubi contrariam Dd. sententiam erroris plenissimam esse intrepidè adstruit.

X I I I.

Processus iudicii læsæ Maiestatis consistit tum in citatione, (a) & accusatione criminosi, (b) vel denunciatione, (c) & inquisitione: (d) tum in litis contestatione, (e) & criminis probatione: (f) tum etiam in damnatione, (g) executione, (h) & appellatione, (i)

a) Quippe, quæ est ordinis iudiciarii fundamentum. *Specul. lib. 2. partic. rubr. de citat.* Et fit vel per nuncium, vel per literas, vel per edictum publicè propositum. *arg. d. Constit. Henrici VII. incip. ad reprim. §. ad hoc, si qua communitas.* Quòd si reus citatus non compareat in termino, in contumaciam eius nihilominus procedi potest. *d. Constit. incip. ad reprimendum.* (b) Possunt autem accusare de hoc crimine & illi, qui aliàs accusare prohibentur, *Ang. in tract. de malef. in verb. che hai tradito la tua patria. in vers. quaro quis poss. accus. in pr. ut sunt. famosi, milites, servi. l. 7. in prin. §. 1. & seq. ff. h. mulieres. l. 8. ff. eod.* Servus dominum etiam: & Libertus patronum. *d. l. 7. §. 2. ff. h. Vasallus dominum. arg. d. l. 7. §. 2. ff. h. Novell. 115. c. 3. §. si eos in criminalibus. familiaris dominum suum, l. 20. C. de hi, qui accus. pater filium. l. 35. ff. de relig. & sumpt. fun. & contra filius patrem. d. Novell. 115. c. 3. §. si eos. 3. frater fratrem. n. Decian. tract. crim. lib. 7. c. 44. num. 10.* Socius socium. *c. si quis. 2. sn fine, dist. 79.* Laicus Clericum, *c. sanè quisquis. 15. q. 3. iunct. c. tanta. 7. extr. de Simon.* alimentatus alimentatorem. *Gig. d. rubr. quis accus. poss. quest. 14. in pr. uxor maritum; & contra. arg. d. l. 35. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 8. §. fin. C. de repud. Novell. 117. c. quia verò. 8. §. si contra. & cap. seq. §. si contra. Diff. Gig. d. rubr. q. 15. quoad prius membrum.* (c) Ea olim erat criminis delatio facta Præsidi vel alii magistratui, missis unà ipsis reis, ab eo, qui ad hoc publicè constitutus erat; & Curiosus, Irenarcha, Stationarius, item nunciator appellabatur. *l. 6. §. 3. ff. ad SC. Turpill. l. 7. & seq. C. de accus. l. 1. C. de curios. Duar. lib. 1. disp. annivers. c. 38.* Hodie
Fiscalis

Fiscalis dicitur. *Dn. Prac. Bocer. class. 6. disp. 38. th. 42.* Iure autem Can. denunciatio est, quando quis magistratui hominem defert criminofum, quem privatim antea monuerat, ut à crimine desisteret; sed homo ille criminofus esse pergit. *c. licet 31. in pr. vers. contra quos ext. de Simon. c. 16. & c. 20. extr. de accus. inquis. & denunc. (d)* Quando magistratus ex officio per testium examen indagat crimen. *c. 17. c. cum oportet. c. 21. & 24. extr. d. tit. de qua videndus Marant. de Ord. iudic. part. 6. in pr. nu. 5. & seqq. & Damhoud. in praxi rer. crimin. c. 8. nu. 14. ubi ille duplicem; hic triplicem constituit inquisitionem. (e)* *Dn. Praecept. Bocer. de crim. maieft. c. 4. nu. 24. (f)* Quæ non testibus modò fit, sed etiam tormentis & quæstionibus. *l. 10. §. 1. ff. de quæst. l. 16. C. eod. l. 4. C. h.* Qui autem testes in hoc iudicio admittantur, consule *Decian. d. tract. crim. lib. 7. c. 45. n. 4. & plur. seqq. nec non Hier. Gig. in rub. quom. & per quos crim. l. s. maieft. prob. q. 1. & seqq. aliquot.* Notandum est; in hoc crimine torturæ subijci, si res ita exigat, & illos, qui aliàs torqueri non possunt, puta; constitutos in dignitate aliqua. *l. 3. l. seq. C. h. l. 31. C. de Episc. & Cler. d. l. 16. C. de quæst. & non modò reum, sed etiam accusatorem & testem. Decian. lib. 7. c. 46. nu. 4. (g)* Quæ adeò necessaria est, ut etiam si crimen sit notorium, tamen sententia requiratur declaratoria, nisi ita notorium & actu permanens existat, ut celari nequeat. *ut tradit Gail. 2. de pace publ. c. 3. num. 15. & seq. (h)* Nisi appellatum fuerit, *d. Constit. Henrici VII. incip. ad reprim. (i)* Quam eo ipso criminis huius reo regulariter competere puto, quod nusquam ademptum ipsi in iure legatur. Nisi delictum sit notorium. *c. cum sit Romana. §. ult. & c. cum speciali. 61. §. porro. de appell. Seditio quomque concitatores & factionum duces appellandi licentiâ carere debent. l. 16. ff. de appell. l. si quis filio. 6. §. quid tamen. 9. ff. de iniust. rupt.*

l. si quis filio. 6. §. quid tamen. 9. ff. de iniust. rupt.

Τῷ Θεῷ δόξα καὶ τιμὴ εἰς αἰῶνα.

F I N I S.

venio metallico in fundo feudali repte, nūm ptineant
ad alium feudi directum, an v. ad vasallum. disp. 2. tit.
Ha rīm nomine an fisco commodum Junis Regalis p. h. e. s.
th. 14.
v. f. m. s. u. a. n. y. an i. y. Junim g. r. a. n. e. o. c. e. s. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p.
3. coroll. 4.

01 A 6525

ULB Halle


3

002 935 813



12

1007





jeftate an- 40
 e: 40
 ET CONSENSU
 rum Ordinis in Illuftri
 bingeni:
 S I D E
 Consultiffimoq;
 S T O P H O -
 O I C. E T A N -
 DEM T V B I N G E N S I
 imo, Præceptore & Pro-
 norando,
Crimine lafa Maie-
politica
 U T R O Q V E J U -
 Doctoralibus confe-
 dis,
 ni fubmittit
unii in Aula Nova,
matutinis
 S M A R C H -
 ureacenis
 us.
 N G Æ,
 rici V Verlini,
 D C X V.